

v<sup>o</sup> 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



6  
I. N. J. A.  
INTRODUCTIONIS AD LOCOS  
Theolog. B. Chemnitii,  
*DISPUTATIO V.*

Ex quâ  
*De*  
SACRO-SANCTA TRI-  
NITATE;

*Præside*  
JOH-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.  
Licentiato, Profefs. Publico & ad D. Thomæ  
Ecclesiaste;

*Respondente*  
M. JOHANNE SAMUELE MATTHÆO,  
Kindelbruccâ-Thüringo;  
*II. Mart. Anni 1648.*  
*disputabitur.*

---

LIPSIÆ,  
Typis HENNINGI CÖLERI.

INTRODUCTIO IN SACROSANCTA TRINIDADIS

DISTRICTU N. S. CAROLINAE

SACROSANCTA TRINIDADIS

TRINIDADIS

JOHANNES BENEDECTUS CARPZOVIVS

LEONARDUS PUBLICUS

LEONARDUS

M. JOHANNES BENEDECTUS CARPZOVIVS

LEONARDUS PUBLICUS

LEONARDUS

LEONARDUS

LEONARDUS PUBLICUS





*Ad Praestantissimum*

**Dn. M. Respondentem, Ami-**  
*cum certissimum.*

**S***incerioris orthodoxa opinio*  
*Ecclesiae fidelium,*  
In Trinitate ut unitatem simplicem  
Pio professi pectore,  
In unitate Trinitatem simplici  
Tenace mente crederent:  
*Sic ATHANASI commonent nos Symboli*  
*Prolata verba candide,*  
*Potite, Amice certior, mecum fene*  
*Nuper Magistri honoribus.*  
In unitate Trinitatem simplici  
Dei fatendam praedicas,  
In Trinitate & unitatem simplicem  
Dei colendam praecipis:  
*Sincerioris sic piam mentem tenes*  
*Ecclesiae fidelium.*  
*Tam vite cujus approbas essentiam,*  
*Unus Deus, Trinus Deus,*

*Is*

*Is largiatur apprecor felicia  
Per longa vitæ tempora:  
Det functione dogma te profiterier  
Hoc publica fidelibus.*

**M. Rupertus Othonis,  
Hannoveranus,**



## LOCUS III.

De

## SS. TRINITATE.

Tria Capita sunt, in qua articulum de TRINITATE Chemnitius dissecit. I. est de Terminis & Vocabulis II. de argumentis probantibus. III. de Certaminibus.

## CAP. I.

De

Terminis & vocabulis receptis in Ecclesia ad explicandum SS. Trinitatis mysterium.

I. Non omnes termini, quibus mysterium Trinitatis explicatur in Ecclesia Orthodoxa, habentur *αυτολεξει* in Scripturâ. Chemnit. p. 86.

§. Non tantum de illis hoc intelligi debet terminis, quibus unus vel alter cætera Orthodoxus, ad mentem suam dexteriùs & explicatiùs depromendam, utitur interdum; sed etiam de illis, quibus univèrsa Ecclesia mysterium hoc expressit per aliquot secula, & qui ab universâ Ecclesia fuerunt recepti, adeò ut jure civitatis suæ nunc donaverit istos. Non enim negari debet, terminos hos, *Trinitas, Persona &c.* κατὰ τὸ ῥητόν & tot apicibus non inveniri in sacro codice, quicquid sit de sensu harum vocum Scripturæ non modò convenienti, sed & aliis phrasibus & aliò modò, in Scripturâ significato.

II. Neque tamen Ecclesia propterea jure, novitatis aut temeritatis alicujus accusari debet. Chemn. p. 88.

§. I. Ab antiquis *Arrianis* quomodo prægravati fuerint Orthodoxi hoc specioso prætextu, quòd de inaccessiblei luce Divi-

A

nita.

Disp. V.  
Respondente  
M. Johanne  
Samuele  
Matthæo  
Kindelbruc-  
câ. Türin-  
go.

nitatis non aliter Ecclesia deberet sentire, quàm ipsa divinitas se patefecit; nec aliter loqui, sed linguam Spiritus S. imitari, adeoque totidem syllabis & verbis ipsa etiam verba exprimere, refert Chemnitius. Et eadem accusatione nostram Ecclesiam hodierni Neo-Arriani & Photiniani hodie petunt, & vel saltem non temeraria impietatis eam arguunt.

§. 2. Sed ostensum jam pridem illis est, quantum discriminis sit inter *Catecheticam dogmatis fidei explicationem*, & inter *accuratam ejusdem vindicationem* ab omni corruptione, omnibusque technis ac fraudibus adversæ partis. Etsi enim in hærenti literis ac apicibus Spiritus Sancti potest, quando fidei sententia exponitur simpliciter, & ad rudem plebeculam de summis capitibus fidei Christianæ differitur; Ubi omninò expedit, non sensum modò Spiritus S. venari ac indagare, sed & ipsam ejus linguam imitari, nec ab illa, quantum quidem potest, recedere; tamen longè aliter comparatum est, si contra Adversarium illa afferri & doctrina simpliciter confessa & rudi plebeculæ ita commendata, ab impetu doloso ac nefario, vindicari debet. Ibi enim non sufficit, ostendere quid & quousque de mysteriis statuendum sit, sed id etiam præterea demonstrari debet, *quenam sententia propositio ac loquendi formula, verum & sanum, Scriptura* ita simpliciter loquentis ac proponentis hoc vel istud objectum credendum, *sensum* exprimat, & *quæ contra* ab ista simplicitate deviet ac discrepet, ut ut minùs doctis & simplicibus sæpe non statim ab ea abhorreere eamque repudiare videatur. Et *historia Arrii* præ cæteris lucem hisce dictis fœnerari potest, sicuti ex pulcherrimo loco *Arbanasii* à Chemnitio nostro citato, & insidiis *Arrii* ac *Sabellii* ab eodem Chemnitio p. 89, 90. & 110. paulò latius enarratis, manifestum id est, & ad oculos liquet. V. *Gravver. art. l. A. C. pag. 179. 180. B. Balduinus in Commentar. ad I. Timoth. VI. p. 465. ad 470. Gerhard. in Exeg. de Trin. §. 39 seqq.*

§. 3. Præterea omninò distinguendum hic est, inter ipsos *Terminos Philosophicos*, (quorum natales non sine injuria impiis *Ethnicorum scholis* ab *Arrianis* deferebantur) in sese spectatos, & inter *eorundem applicationem* ad doctrinam Fidei. Ut ut con-



concedi oporteat, unum ac alterum terminum à *Philosophis* usur-  
 pari solitum, sumtum, ac ab Orthodoxis ad felicitis dijudi-  
 candas technas ac fraudes adversariorum sub phrasi Scripturæ  
 occultatas, applicatum fuisse; tamen non tam quid ipse à Phi-  
 losopho usurpatus termini involvat cogitandum semper est,  
 quàm quid ejusdem applicatio, vel is, qui ita applicat istum  
 terminum, intenderit. Non rarò enim fieri solet, ut paulisper  
*attemperatus & inflexus sit terminus*, quando ad mysterium hoc  
 vel istud exprimentum applicatur. Et hoc vult *Chemnitius*  
 noster, quando pag. 92. scribit. *Ecclesiam quidem aliquando sumere*  
*& mutuari aliunde vocabula, sed tamen eâ lege hoc facere, ut donec*  
*illa jure civitatis suæ, & in peculiari significatione iis uti.* V. *Gerhard.*  
 l. all. §. 44.

§ 4. Insuper & ad *Eum*, qui applicationem terminorum facit  
 vel fecerit, respiciendum est. Ista enim Applicatio terminorum  
 est vel publica vel privata. *Privata* est, quæ ab uno atque altero  
 Doctore fit; *Publica* verò quæ à tota Ecclesia fit, cujus publico ac  
 communi consensu recipitur unus atque alter terminus. Non  
 enim omnia omnibus licent, & benè monet *Augustinus* l. X. de C.  
 D. cap. 23 fol. 605. *liberis Verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus*  
*ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium perti-*  
*mescent.* *Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verbo-*  
*rum licentia etiam de rebus, quæ his significatur, impiam gignat opi-*  
*nionem.* Quod ergò toti Ecclesiæ fas est ac licet, non singulis in  
 Ecclesia Doctoribus licet, cum facilè fieri possit, ut diversæ lin-  
 guæ schisma inducant & vinculum Ecclesiæ rumpant, infirmi et-  
 iam & simpliciores etiam turbentur & offendantur.

§. 5. *Non autem aliqua petulanti novitatis affectatione, verba*  
*Chemnitii sunt, pag. 88. à simplici proprietate Verborum Scripturæ*  
*Ecclesia recessit, sed ut eleganter & verè inquit Augustinus, loquendi*  
*necessitate à Græcis & Latinis parta sunt hæc vocabula.*

§. 6. Quæ tamen *necessitas* usurpandi phrases & terminos hos vel  
 istos, non absoluta est & simplex, sed *hypothetica*, & quidem talis,  
 quæ *expedientiæ* dicitur, non quod sine eo finis obtineri nequeat,  
 sed quod nō æquè bene ac expedire. Neq; enim propterea recepti  
 sunt hi termini, quòd simpliciter absque illis non posset tradi

fides Christiana, & dignosci ἐπεποδῆσας, sed tantum, quod rotundius declararetur hisce vocabulis Veritas cœlestis, & discerneret ab erroribus, rectiusque obviaretur technis adfertariorum, & ut ex insidiis suis illa protraherentur, uti *preced.* §. 2. ostensum fuit. Nam fides nostra de Trinitate SS. salva est, siue dicantur tres personæ unius Essentiæ siue non, modò sincerè credatur, quòd διαφῆνῆν extat in Scripturis, nempe Patrem, Filium & Spiritum Sanct. esse unum Deum, ita ut Pater non sit Filius, quia est alius à Filio; nec Spiritus Sanct. sit Pater vel Filius, sed alius à Patre & Filio, non tamen sit alius Deus: aut Pater sit aliter Deus ac Filius, aut Pater & Filius sint aliter Deus ac Spiritus S. sed Pater, Filius & Spiritus S. sint unus & unicus ille Deus, prout etiam Athanasianum Symbolum mysterium hoc ex Scripturis, exponit; Pater est Deus, Filius est Deus & Spiritus S. est Deus, & tamen non tres Dii sed unus est Deus.

§. 7. Ita tamen Ecclesia in necessitate hâc sibi imposita se temperavit, ut non temerè & pro lubitu receperit terminos istos, sed illos præ cæteris elegerit, quorum (1.) signatum seu rem illis significatam in Scripturâ expressè positam & patefactam agnoscebat; & (2.) quos quoad διὰ νοῦν ac sensum, aut (3.) quoad ἀquipολῆντιαν & conjugatam in Scriptura latere intelligebat. Qui enim dicitur v. g. esse, illi competit ὁμοῖα, & qui dicitur esse unum cum alia persona; illi quoque competit ὁμοῖα cum illâ personâ; Et quia tres personæ unum sunt, dicitur etiam Trinitas. Jam Deus dicitur Esse Exod. III, 14. unde dicitur ὁ ὢν καὶ ὁ ἢ καὶ ὁ ἐρχόμενος, Apoc. I. 4. I. 8. XI. 17. & quidem dicitur ita esse, ut in Deitate sint plures personæ, quarum una cum altera ὁμοῖα, Johan. X, 30. hi tres unum sunt, 1. Johan. V, 7. Gravver. art. I. A. C. pag. 180. 181. in Disp. I. quæst. 1. Centur. I. 99. illustr. Gerhard. in Exeg. de Trinitat. §. 48. 64 ex Calvinistis Zanchius l. I de Trib. Eloh c. 2 p. 10. seq.

III. Termini ab Ecclesia ad mysterium SS. Trinitatis explicandum & asserendum recepti, potissimi sunt: *Essentia, Trinitas, ὑπόστασις, Persona, ὁμοῖα.*

IV. *Essentie* vox non est nomen universale, ut *Philosophi* nominant *essentiam* humanam, sed significat *unam numero & indivisam Essentiam*, communicabilem & communem tribus personis, Patri, Filio & Spiritui S. & est tota in singulis. *Chemn. p. 93.*

§. 1. Vox *Essentie* aliàs generalissima est, & non solum de *Substantia* propriè sic dicta, sed etiam de *Accidentibus* prædicatur, cum & hæc suam *Essentiam* & quidditatem habeant, hoc tamen in loco specialiter accipitur pro *Essentia substantiali*.

§. 2. Et *Veterum conatus ac studium*, quò in Scriptura hanc vocem tot apicibus signatam quærere voluerunt, laudem quidem meruit in Ecclesia, verùm contra pertinacem Adversarium subsistere nequit; sed omninò fatendum est, ex communi consuetudine loquendi sumtam fuisse etiam vocem hanc, quicquid fit de re in Scriptura satis clarè proposita & patefacta. *Chemnit, pag. 87. 88.*

§. 3. Ita tamen *Ecclesia*, in hæc voce ex consuetudine communi loquendi sumta, se temperavit, ut paulò aliter eam, quàm vulgo usitata est, usurpaverit *Chemnit p. 93.*

§. 4. Nam cum *Essentia* v. g. de hominibus enunciata, sit (1.) *imaginarium* quid, ut *genus & species*. (2.) non de *tribus tantum* individuis, sed *multis*; & quidem (3.) *numerica Essentia differentibus*, prædicabile, unde tres personæ tres homines dicuntur: ad doctrinam de Deo si accommodatur, *nihil horum omnium involvit*, quin potius propter infinitatem & summam perfectionem Dei *omnia hæc planè excludit*, ut verè dixerit *Augustinus à Chemnitio citatus l. VII de TRINIT. Tom. III. opp fol. 343.* *Essentia divina prædicatur de Patre, Filio & Spiritu S. non ut Genus de Speciebus, nec ut Species de Individuis, nec ut totum de partibus, sed alio quodam & ineffabili modo.* V. *Chemnit. l. de duab. natur. in Christo cap. 1.*

§. 5. Et hinc pendent phrasēs doctrinæ huic peculiare, quibus Una Dei Essentia enunciatur, & quæ excludunt alias, uti *Chemnit. p. 104. in tabella* eas signavit. Quia enim una numero Essentia est, omnibus tribus personis communis, & quidem ita ut tota sit in singulis personis, non possunt dici tres personæ *tres Dii, tres Omnipotentes, tres Aeterni* nec dici, quod Essentia in Patrem, Filium & Spiritum S. sit *distincta, nec inaequale* quid concedi, neque *prius ac posterius*.

§. 6. Ubi tamen quoad *posterio*rem phrasin notandum est, de *prioritate seu primitate Essentiali*, eam esse accipiendam, quæ est *primitas nature*, quâ Deus prior est creaturis, effectivè ab ipso Essentiam eamque numero aliam habentibus; Et quidem non tantum naturali ordine essendi, verum etiam *duratione*, ita ut sine creaturis & potuerit Deus esse, & etiam fuerit; Non verò de *prioritate personali*, quæ est *primus ordinis & enumerationis personarum Trinitatis*, secundum quam *Prima* persona est *Pater, Tertia Spiritus Sanctus & Media* est *Filius, Matth. XXIX. 1. Johan. V. 7.* Quoad *prioritatem Essentialem* verum est, nihil in Deo esse prius ac posterius. Non enim hæc primitas uni personæ propria est, sed omnibus tribus personis communis; Et non Pater tantum, sed etiam Filius ac Spiritus S. sunt *primus*, quia sunt unum Essentiâ, quæ in primam, secundam & tertiam Essentiam dividi non potest ac debet. Quamvis enim *Pater* generet Deum *Filium*, non tamen alium generat numero Deum, sed aliam *ὡς οὐσίαν* generat, cui eandem numero Essentiam divinam communicat: Quamvis etiam *Pater & Filius* spirant Deum *Spiritum S.* non tamen alius Deus procedit à Patre & Filio, sed alia *ὡς οὐσίαν* eandem numero Essentiam à Patre & Filio communicatam habens. Ideò nec *Filius* dicitur *Patris*, nec *Spiritus Sanctus* *Patris* ac *Filii* vocatur *opus ac creatura*. Et hanc *ὁμοστίαν καὶ συνουσίαν* Filii & Spiritus S. cum Patre, non tollit *Ordo personalis*, nec ullam *ἑξοχήν* aut *ὑπεροχήν*, *excellentiâ* aut *prærogativam Deitatis in Patre* importat, ut rectè *Athanasius* in Symbolo scripserit: *In hæc Deitate nihil est prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.*

V. Tri-

V. *Trinitatis* vocabulum non quoad tot *apices* suas quidem legitur in Scriptura, sed tamen & quoad *rem* & quoad *conjugata* sua ibi habetur.

§. 1. Ipse *Athanasius* in *Exposit. Symboli & Orat. II. contra Arianos* ostendit, non ex *Platoniorum* scriptis, quæ *Arrianorum* erat accusatio, hodiè ab *Hug. Grotio* in v. 2. cap. 1. *Job. fol. 851*, renovata, sed ex concreto 1. *Job. V. 7. Job. X, 30.* hoc abstractum se derivasse.

§. 2. De omnibus autem personis simul secundum relationem intrinsecam hoc nomen dicitur, & de nulla sigillatim, ac determinat pluralitatem personarum in essentia divinâ, uti *B. Gravv. quest. 1. disp. III. Cent. 99. illustr.* id explicat, ac *Gerb. in Exeg. L. de Trin. §. 64.*

§. 3. *Germanicè* non adeo commodè vertitur per *Dreyfaltigkeit*. Videtur enim hæc vox aliquam poscere compositionem & non satis exprimit *μοναδα ἐν τριάδι*; Quanquam postea usu mollior hæc vox est reddita fuerit, & absque omni periculo à nobis usurpetur in designando *Festo S. Trinitatis*; Et in *Cantico: Christ/der du bist der helle Tag* etc. *Dreyfaltigkeit* ist ein recht böse *Teutsch*/ scribit *Lutherus* in *Haus-Postill Festo Trinit. pag. 664, 6.* Denn in der Gottheit ist die höchste Einigkeit. Eiliche nennen es Dreyheit. Aber das lautet allzu spöttisch. *Augustinus* klagt auch/das er kein bequemes Wort habe/ denn ich kan nicht sagen/ wie drey Menschen oder drey Engel sind / daß auch also drey Götter seyn / sondern nur sagen / daß ein einiger *GDZ* sey. Es ist wol in der Gottheit ein Gedrittes: Aber dasselbige Gedritte sind Personen der einigen Gottheit / nicht drey Götter / nicht drey Herren / nicht drey Schöpffer / sondern ein *GDZ* / ein *HZZ* / ein Schöpffer. Ich nenne es ein Gedrittes: Denn *Dreyfaltigkeit* lautet ebentheuerlich / und ich kan ihm keinen rechten Namen geben. Ita etiam *Chemnitius noster* in *Postill Fest. Trinit.* Es wird also grob genennet *Dreyfaltigkeit* / als wann ein dreyfaltiger Gott / oder *Dreyfaltigkeit* in dem Göttlichen Wesen were / da doch keine solche *Dreyfaltigkeit* ist. Darumb were es besser / man nennete es *Drey-einig-*

einigkeit oder Dreihelt/ weil im Göttlichen Wesen ein einziger Gott  
ist/ und doch drey unterschiedene Personen.

§. 4. Ex quibus rectè cogitatis aperta est fallacia *Papistarum* & *Calvinistarum* à *Gerhardo Exeg. de Trinit. p. 65.* magno cumulo allegatorum, quâ *Luthero* tribuunt, quod vocem *Trinitatis* fuerit averfatus. Non enim de *latino* vocabulo, sed de *Germanico* loquutus est, quod non tam *Trinitatis* quàm *Triplicitatis* voci respondere ei visum fuit, uti id *B. Balduin. in disp. 1. Colleg. SS. Trinit. §. 45.* etiam ostendit.

VI. Termini *Persona* &  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$  non parùm *Ecclesias Orientalem* & *Occidentalem* turbaverunt, priusquam nativam vocum significationem accuratè cognoverint. *Chemn. p. 91.*

§. 1. Uti enim *Latini* ob linguæ suæ angustiam  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$  ab  $\delta\omega\iota\zeta$  distinguere non potuerunt initio, quod ex *Hieronymi* testimonio *Chemnitius pag. 87.* ostendit & *p. 91. §. 92* § quia verò  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$  non poterat. (Videatur *Gerhard. in Exeges. de Nat. & attr. Dei §. 58. p. 977.*) Ita *Græcis* non statim *persona* vocabulum arrisit, quòd scirent sapiùs id de *qualitate, officio & habitu* usurpari.

§. 2. Unde factum est, ut, quamvis vox  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$  ab uno atque altero *Doctore Ecclesiæ* fuerit antea usurpata, exactiùs tamen de ea demum constare, & *publico usu* in *Græca Ecclesia* frequentari illa cœperit tempore *Athanasii*, uti ex *Tripartita Histor. l. VI. c. 27. fol. 95.* ostendit *Chemnitius p. 91.*

§. 3. Etli autem multi sunt, qui eum vocis  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$  significatum, qui nunc in *Ecclesia* obrinet, etiã in ipsa *Scriptura* ostendere volunt, & eo nomine allegant textum *Ebr. I. 3.* sicut ex *Lutheranis, Papistis & Calvinistis* *Gerhardus Exeges. Loc. de Trinitat. §. 53. p. 969.* notavit; tamen *Chemnit. p. 88.* suis rationibus ductus id negat, & per  $\delta\omega\iota\zeta$  vocem  $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$  isto in loco explicat, secutus *Patres* quosdam, in quorum numero sunt *Epiphanius, Basiliius & Cyrillus*; Quinimò *Lutherus* etiam in *Versione germanicâ* non ali-

aliter accepit vocem hanc, & in *postill. Eccl. Fest. Nativ. Dni fol. 98.* eam per *ὁμοίαν* interpretatur. Neutra autem sententia simpliciter rejici debet. Quia enim vocabulum *ὁμοίως* apud Græcos modò *Essentiam*, modò *personam* significat, pro diversâ applicatione, etiam uterq; significatus locum obtinere potest. Si n. dicatur in textu *Ebr. I. Patrem & Filium* ad se invicem referri, tanquam *relatum ad correlatum*, vocabulum *ὁμοίως* sumetur *relatè* pro persona Patris, quæ est prototypum, ad quod imago expressa, sive character & correlatum, quod est *Filius*, refertur, sive cuius formam imago hæc exprimit: Si verò *id ipsum* intelligatur, in quo conveniunt prototypum & imago seu character, ac res characteri *sata*, vocabulum hoc notabit ipsam *Essentiam* Patris, uti *l. all.* eleganter *Lutherus* id interpretatur. Verba præ cæteris notanda hæc sunt: Den Deutschen und Einfältigen sey gnug / daß wann sie ein Bild des Goldes nennen / darumb / daß es aus Gold gemacht ist / also sollen sie auch Christum ein Bild Gottes des Vaters nennen / darumb daß er ganz von Gott und aus Gott genaturet / und außser ihm kein Gott ist / ohne daß er solche Gottheit und Bild vom Vater als der ersten Person hat / und beyde ein Gott sind. Sensus ergò uterq; Orthodoxus est sive *Filius* dicatur Character *Patris*, cuius correlatum est; sive dicatur Character *Patris* quoad *Essentiam*, in quâ Pater & Filius conveniunt. Si tamen *prior* retinebitur, *ὁμοίως* vocabulum notabit *personam*: si *posterior*, notabit *Essentiam* V. *Gerhard. Exeg. de Trinit. §. 55.*

§. 4. Quod igitur hodie *ὁμοίως* Græcis, id Latinis *persona* notat; Et sicut illi tres *ὁμοίως*, ita hi tres *personas* Patrem, Filium & Spiritum S. in una *Essentia* appellant.

VII. Est autem *persona* substantia individua, intelligens, incommunicabilis, quæ non sustentatur vel in alia, vel ab alia. *Chemn. p. 94. & in l. de duab. Nat. in Christo c. VI. p. 38.*

§. 1. Definitio hæc quoad potiorem partem, est *Anitii Manlii Severini Boethi, Patricii Romani & Consulis, Viri græcè & latinè doctissimi, sexti seculi scriptoris, qui l. de duabus naturis & una perso-*

*na Christi adversus Eutychen & Nestorium cap. 2. fol. 693. Opp. Venetiis 1559. editorum hanc definitionem tradidit: Persona est rationalis natura individua substantia.* Occasionem, quâ Boethius motus hanc definitionem formavit, ipsemet in *prefat. d. l.* exponit, & ex eo Chemnit. p. 95.

§. 2. Definit autem personam non prout *abstractivè* ipsam personalitatem notat, seu rationem subsistendi (quæ in Deo neque Substantia est, neque accidens, verùm modus rei ac subsistentiæ, ipsam divisionem rei in substantiam & accidens non ingrediens, & ut *Damascenus* loquitur, *ἄριστος ἀναρχος* est, absque principio temporis, qui non posterior est re quam modificat.) sed prout *concretivè* res cum certo modò subsistendi vocabulo personæ significatur. Dicitur *Substantia*, quia per se subsistit, quod non potest esse nisi substantia, cum Accidens non per se sed in subjecto subsistat; dicitur *Individua* quia extra intellectum reverà existit, & in plures Essentias dividi non potest: dicitur esse naturæ *rationalis*, ut à supposito discernatur.

§. 3. Addiderunt autem huic *Boëthianæ definitioni* postea *Scholastici Doctores*, ut noster *Chemnitius pag. 96.* annotavit, alia, quæ eandem complere debuerunt. Porro enim de persona dicitur, quòd sit Substantia Individua, intelligens, *Incommunicabilis*, non tantùm *activè*, respectu alterius personæ (non verò *naturæ*) sed etiam *passivè*, & quoad *ultimatam ac immediatam subsistentiam*, quam ita propriam habet, ut non dependeat ab alio univo. Unde & melioris explicationis causâ, ut *Chemnitius loc. alleg.* observavit, additur: *quæ non sustentatur vel in aliâ, vel ab aliâ, sc. personâ: sed per se ultimò ac immediatè subsistit, nec habet dependentiam ad aliud, sicut anima separata ad corpus resuscitandum, uti Chemn. l. de duab. nat. c. I. pag. 1. addidit. V. Gravver. l. art. A. C. p. 183. 184.*

§. 4. Et hæc Definitio personæ cõprimè ad doctrinam de Deo accommodari potest, ita tamen, ut monente *Chemnitio pag. 93.* paulatim inflectatur, & quod per similitudinem personæ humanæ inest, ab infinita persona in Deitate removeatur, quod optimè exponunt *Gravver. Cent. 99. illustr. quest. 3. §. 4. 5. 6. Dn. D. Jac.*



*Jac. Martini l. II. de Trib. Elohim, cap. IIX. IX. & X pag. 56. seqq. D. Kesler. in Exam. part. special. Metaphys. Photin. Sect. II. Princip. XVII. p. 234. seqq.* Neque enim ibi tres personæ tres substantiæ sunt distinctæ, ut in natura intelligente finita sit, sed una saltem Essentia ac Substantia est, quæ tribus relationibus ac subsistentiis determinatur, quod summum est mysterium, ita ut ratione *Patris* sit *Essentia generans*, ratione *Filii generata*, ratione *Spiritus S. procedens*. Tres autem Essentiæ essent in Deo, si Essentia divina finita & non infinita esset. Et hinc optimè monet *Chemnit. p. 105.* abstineri debere ab ista phrasi: *Deus est triplex*. Notat enim hoc id quod ex tribus compositum est. Deus autem non ex multis compositus est, sed unam habet Essentiam, & tres saltem modos subsistendi habet, qui Deum trinum faciunt, *Dreyeinig / nicht Dreyfachtig.*

§. 5. Hæ tres relationes personales verò *reale discrimen* personarum in SS. Trinitate important, quod *Chemnit. pag. 94.* contra *Sabellium* docet. Utut enim relationes hæ idem reipsa sint cum essentia divina, & non nisi ratione ab illa differant; cum alias compositio aliqua realis in Deo esset ponenda: *inter sese* tamen realiter differunt, ac realem etiam personarum *distinctionem* (non *differentiam*, *divisionem*, *diversitatem* *Chemn. p. 105.*) efficiunt; Et non quidem aliam Essentiam Patris ab Essentia Filii faciunt, sed tamen ejusmodi discrimen involvunt, ut Pater à Filio, & Filius à Spiritu Sancto & hic à Patre & Filio sint etiam distincti, & alius sit Pater, alius Filius, & Pater non sit Filius, & contra Filius non Pater. Persona enim Patris gignit Filium, (alium non aliud *Chemnitius pag. 105.*) Filii persona generatur & persona Spiritus S. à Patre & Filio procedit. Hoc ac non aliud volunt nonnulli Theologi, quando statuunt, *personas divinas differre τῶ ἐννοιῶν*. *τῶ ἐννοιῶν* differre enim ipsis non idem est ac *ἁπορίῶν* differre, sed opponunt hanc phrasin ei, quod *τῶ λόγῳ* tantum distinguitur, ut idem valeat, quod *ὄντως ἔ realiter distingui*, quale discrimen intercedit non modò inter ea, quæ diversam *ἁπορίῶν* habent, sed etiam quæ subsistentiis distinguuntur. Hinc licet personæ divinitatis non habeant aliam atque aliam *ἁπορίῶν*, tamen aliam atque aliam habent subsistentiam, propter quam subsistendi

distinctionem datur *alius & alius*, datur *aliud* atque *aliud* ὁμοούσιον, licet non detur *aliud* atque *aliud* *Ens*, *alius a* que *alius* *Deus*, *alia* atque *alia* *Essentia*. Vide latius de his differentem & uberius ea exponentem *D. Fevverb. Fasc. III. Disputat. IV. tb. 85. pag. 217. seqq.*

II X. Vocabulum ὁμοούσιος quoad tot apices suos, Biblicum quidem non est, sed tamen ab *Orthodoxis* rem ipsam in Scriptura revelatam deprehendentibus & contra *Arrianos* defendentibus, fuit *necessario* assumptum. *Chemn. p. 109.*

§. 1. Magnam Invidiam vox hæc *Orthodoxis* conciliavit apud *Arrianos*, quòd intellexerint hi, se ex latebris multiplicibus tergiversationum suarum voce hæc protrahi, & non habere, quò subdola interpretatione eam eludere possent. Sed tantum abfuit, ut abstinerint *Orthodoxi*, ut potius fortius vocem hanc defenderint, & rem in Scripturâ satis expositam vocis hujus beneficio exposuerint, atque ita jure civitatis suæ istam donaverint. Notanter de hæc re sentit *Lutherus* noster in *l. de Concil. & Eccles. Tom. VII. Jen. German. fol. 257.* Da es gieng an das Herz / daß Christus homousius sey / mit dem Vater / das ist / daß Christus mit dem Vater gleich und einerley Gottheit / gleich und einerley Gewalt habe / da künnten sie keinen Tücl / Loch / Kanck noch Zwang mehr finden. *Et eadem pag. fac. 2.* Daß man nicht solt brauchen mehr oder andere Wort / weder in der Schrifft stehen / das kan man nicht halten / sonderlich im Zanck / und wann die Keger die Sache mit blinden Griffen wollen falsch machen / und der Schrifft Wort verkehren; Da were von nöthen / daß man die Meinung der Schrifft / so nit viel Sprüchen geschet / in ein kurz und Summarien. Wort fasset / und fragt / ob sie Christum homousium hetten / wie der Schrifft Meinung in allen Worten ist / etc. *Vid. D. Pappus in A. C. p. 18. 19. 24.*

§. 2. Fecerunt id *Patres ante Concilium Nicenum*, qui ante 130. annos hęc voce usi fuerant, unde & *Arhanasius* ad eos provocavit & ostendit, Episcopos in Concilio Niceno non sibi met adinvenisse verba, sed habuisse hęc à Patribus. *Veteres n. Sacerdotes ante eos, aiebat, accusasse omnes, qui dicunt facturam aut Creaturam esse Filium, non consubstantialem Patri.* Videatur *Tripartit. histor. l. II. cap. 7 fol. 30.* & ipse *Arhanasius Epist. ad African. & in l. de decret. & Synod. Nicen. & in l. de Synod. Armin. & Seleuc. Scimus, scribit Eusebius Cesariensis in Epistol. apud Theodoretum l. 1. cap. 12. fol. 355. prius quosdam Doctores & celebres Episcopos in disputatione Deitatis Patris ac Filii inter alia etiam hanc dictionem Coessentialis usurpasse.*

§. 3. Ipsi verò *Concilio Niceæ A. C. CCCXXV.* ab Imperatore *Constantino* indicto, & præter infinitam presbyterorum ac Diaconorum multitudinem à *CCCXIIIX.* Episcopis celebrato, inter cætera placuit vox hęc, quòd viderint eam formidini esse *Arrianis.* Scripserat *Eusebius Nicomediensis hæreticus Arrianus in Epistola Synodo exhibita: Si Verum Dei Filium & Increatum diceret, etiam oportere se filium confiteri cum Patre ὁμοούσιον.* Hoc arripuerunt *Patres Concilii*, & ut tanquam evaginato ab ipsis gladio nefandæ hæreseos ipsorum caput amputarent, in tractatu huiusmodi suæ illam vocem posuerunt, ut *Ambros. Tom. II. l. III. de fide, cap. 7. hęc refert.*

§. 4. Ab eo tempore omnes *Orthodoxi*, quicquid de eo sit quòd apud infirmos aliquando ab eo abstinerint, ut meminit *Casaubon. Exer. XVI. N. 43. p. 404.* in hanc usque diem vocem hanc amplexi fuerunt, & omnia illa, quæ de divinitate Filii Dei in numeris locis inculcat scriptura, tam clarè ob oculos posuerunt, ut nulla depravatio obtinere potuerit. Et calumnia est non minùs quàm atrox mendacium, quando *Papistæ ac Jesuitæ* magno numero allegati à *Gerhard. T. I. Loc. Th. de Nat Dei § 33. & in Exeg. de Trin. §. 52.* scribunt, *Lutherum* odisse vocem hanc, & decretum in *Concilio Niceno de Unitate Essentia factum, non credidisse.* Turpissimum enim crimen falsi committunt, & ex *hypothetica Propositione,*

quæ nihil in sese ponit aut asserit, *Categoricam* faciunt. Lutherus enim noster in *l. contra Jacob. La omum*, qui habetur *Tom. II. Jenens. Latin. fol. 407.* ex quo id probare volunt illi Calumniarium myltæ, non dicit: *Anima mea odit vocem ὁμοῶσιον*, sed *hypotheticam particulam SI* expressè addit: *Quod si anima mea odit, &c.* Nimirum disputat ibi contra novitates profanas vocum, & dum videret obijci sibi posse vocem ὁμοῶσιος à Patribus in Ecclesiam introductam, respondet per hypothetam: *Quod si odit anima mea vocem ὁμοῶσιος, & nolim ea uti, non ero hareticus. Quis enim me coget uti, modò rem teneam, qua in Concilio per Scripturas definita est?* Unde in Solis mensa positum est, non edisse vocem hanc Lutherum, sed ex hypothesi saltem eundem locutum esse, ac casum formâsse quendam, qui ex ipso Arrianum facere non posset. Intereâ vocem ipsam detestatus non est, multò minùs rem eâ voce significatam, ut *Gregor. de Valent. loco citatò calumniatur.* Legatur *B. Meisnerus in prima fidel. admor. Victor. contra Czarnkovv pag. 104. seqq. Dn. D. Fevverborn Fascic. III. Disput. III. tb. 86. pag. 173.*

IX. Vocabulo ὁμοῶσιος Orthodoxi designarunt tum *veram Filii Deitatem*, tum *Essentiæ unitatem*, tum *personarum distinctionem.* Chemnit. pag. III.

§. I. Opposuerunt enim id primò τῷ ἑτεροσίῳ, quod alterius ac diversæ Substantiæ significatum habet, & quando id Deo Filio tribuerunt, eò ipso indicârunt, Filium non esse ἄλλου καὶ ἑτεροῦ θεῶν, sed unius Substantiæ ac *Essentiæ* cum Patre. Hinc quando *Arriani* postulabant, ut unicâ saltem adjectâ literulâ pro ὁμοῶσιος ponere vellent ὁμοῶσιος & *Essentiæ* nomen facere, non obtinuerunt apud Orthodoxos; quòd viderint hi, veræ divinitati Filii ita derogari, uti *Theodor. l. II. cap. 18. fol. 371.* refert. Graviter *Athanasius l. de Synodo Arim. & Seleuc. Cum natura λόγῳ sit Filius, lux, sapientia ac Deus, non participatione (μετοχῆ ἢ ἐν μετῶ).*


μετῶσις) nunquam propriè ὁμοίσιος dici poterit, sed ἰμοῦσιος. Τοῦ ὁμοίου enim vel simile non de Substantiis, sed de figuris & qualitatibus dicitur. In Essentiis verò non ὁμοιότης vel similitudo, sed ταυτότης identitas esse pronanciatur. Si ergo dicatur ὁμοίσιος, nec veritas neque lux totaliter, aut naturā Deus haberi poterit. Filius autem non ex participatione, sed naturā & veritate Filius, Lux, Sapientia & Deus est.

§. 2. Deinde vocem ὁμοίσιος oppoſuerunt τῷ συνσίῳ & eò significarunt, non identitatem Essentiæ specificam, (quæ perversa hodiè interpretatio vocis est Schlichtingii) sed numericam in Filio & Patre esse, & non unam specie Essentiam ac communem tantum, sed etiam numerò unam Essentiam Filium cum Patre habere. Atque ita voce hac istam unitatem, quæ est inter subjecta numero distincta, discernere vulerunt ab unitate, quæ Filio cum Patre intercedit. Ita exponit propriis verbis hanc rem Athanasius l. de decret. Synodi Nicen. Tom. I. Oppon. fol. 269. Siquidem corpora invicem similia distare possunt, & longè à se invicem disjungi, quales sunt liberi, qui similitudine Parentes referunt, quomodo scriptum est de Adamo, & ex ipso genito Seth, quod fuerit illi κατὰ τὴν ἰδέαν specie similis. Ceterum quandoquidem illa ex Patre Filii generatio alia est à natura hominum, Filiusque non solum similis, sed indissociabilis est à Patris Substantia, & quia ambo unum sunt, semperque in Patre est Verbum, & Pater in eo sicut splendor respectu lucis, ideò Synodus re perpensā CONSUBSTANTIALIA esse tradidit. Epiphanius (à Chemnitio nostro citatus) probè etiam id animadvertit, unde in Ancorato suo fol. 497. ita sentit: Filius coessentialis Patri non synusios, hoc est, simul essentiam habens, sed homousios, id est, coessentialis: hoc est, non extra Patrem genitus, velut quidam per cavillum dicunt, adoptione volentes esse Filium, non veritate.

§. 3. Τα.

§. 3. Tandem etiam voce hac, τὸ αὐτοσίον Sabellianò voluerunt occurrere, & ostendere in Deo non esse unam & eandem personam diversas habentem potentias & operationes. Si dixeris coessentialem, solvisti Sabellii potestatem, inquit Epiphanius locò citatò. Et quamvis olim vox hæc ipsa ὁμοσίον Sabellianismi suspicionem moverit in nonnullis, ut Socrates l. I. Hist. Eccl. cap. 18. fol. 236. recitat, tamen ostensum fuit iterum, quantum distent τὸ ὁμοσίον & αὐτοσίον, & quomodo eadem numero Essentia, quam in distinctâ personâ Filius cum Patre habet, voce ὁμοσίος significari caretur.











AB 42  $\frac{3}{i,9}$

VO 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



6

AD LOCOS  
itii,  
O V.

TA TRI-

ZOVV SS. Theol.  
ad D. Thomæ

MATTHÆO,

LERI.

